

nerit in terra, unanimitatem prius posuit: concordiam pacis ante praemisit, ut conveniat nobis, fideliter et firmiter docuit. Quomodo autem potest ei cum aliquo convenire, cui cum corpore ipsius ecclesiae et cum universa fraternitate non convenit? Quomodo possunt duo aut tres in nomine Christi colligi, quos constat a Christo et ab ejus evangelio separari? Non enim nos ab illis, sed illi a nobis secesserunt. Et cum haereses et schismata postmodum nata sint, dum conventicula sibi diversa constituunt, veritatis caput atque originem dereliquerunt. Dominus autem de ecclesia sua loquitur, et ad hos, qui sunt in ecclesia, loquitur; ut si ipsi concordēs fuerint, si secundum, quod mandavit et monuit, duo aut tres licet, collecti unanimiter oraverint, duo aut tres licet sint, impetrare possint de Dei majestate, quod postulant. Ubi cumque fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego, inquit, cum eis sum, cum simplicibus scilicet, atque pacatis, cum Deum timentibus, et Dei praecepta servantibus. Cum his, duobus vel tribus licet esse se dixit. Quomodo et cum tribus pueris in camino ignis fuit, et quia in Deum simplices, atque inter se unanimes permanebant, flammis ambientibus medios spiritu roris animavit. Quomodo Apostolis duobus in custodia clausis, quia simplices, quia unanimes erant, ipse adfuit, ipse resolutis carceris claustris, ut verbum, quod fideliter praedicabant, multitudini traderent, ad forum rursus imposuit. Quando ergo in praeceptis suis ponit et dicit: Ubi fuerint duo aut tres collecti in nomine meo, ego cum eis sum: non homines ab ecclesia dividit, qui instituit et fecit ecclesiam; sed exprobrans discordiam perfidis, et fidelibus pacem sua voce commendans, ostendit magis esse se cum duobus aut tribus unanimiter orantibus, quam cum dissidentibus plurimis, plusque impetrari posse paucorum concordī prece, quam discordiosa oratione multorum. Ideo et cum orandi legem daret, addidit, dicens: Et cum steteritis ad orationem, remittite, si quid habetis adversus aliquem,